



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 90118588**

§. 113. Primum conciliabulum Parisiis a Calvinistis celebratum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

lesimo quingentesimo quinquagesimo nono Genevam secessit. Itaque recitatis suæ causæ testimoniis, ac deliberatione desuper habita Senatus in illum iudicii acta instrui præcepit.

Sæc. XVI.  
A.C. 1559.

§. CXIII.

*Primum conciliabulum Parisiis a Calvinistis celebratum.*

Ceterum quamvis Rex ad exterminandam Calvinistarum factionem adeo severe in eos inquiri juberet, haud tamen præpedire poterat, quod non reformatarum, uti sese appellitabant, Ecclesiarum Ministri rursus Mense Majo in Parisiensis civitatis suburbio ad Sanctum Germanum dicto convenirent. Huic conventiculo præfuit Franciscus Morelus inter suos fama clarissimus, ubi cuncta summo premebantur silentio, quinimo priusquam huic Synagogæ initium dabatur, de rebus secreto tenendis iuramentum exigebatur, ac per integros quatuor dies ætivo tempore longiores suum conventum protrahebant, ita tamen, ut non modo nullam obtinuissent licentiam, sed nequidem ullo pacto illam petuissent. Porro multa ibidem fuere decreta, ac præprimis quidem agebatur de Anabaptistarum secta, quam quidam Petrus Christianus Pictaviensis

*Thuan. &  
Spond. l. c.  
Benoit hist.  
de l'edit de  
Nantes t. I.  
p. 18.*

\Sæcul. XVI.  
A C. 1559.

Minister Cadomi in Normania inter Calvinistas introducere satagebat: postmodum plurima circa disciplinam constituta sunt de Synodis, ac colloquiis, necnon de eorum Præsidibus: quædam etiam statuta condebant de Ministrorum electione, eorumque munere, de Diaconis, censuris, sicuti etiam de contrahendis, aut dissolvendis matrimoniis, tollebant quoque Principatum ex Ecclesia, ita, ut deinceps omnia collegia essent æqualia, nec minus differabant de excommunicatione, ac unitate doctrinæ, statuentes, quod rejectis omnibus exteris opinionibus sola Calvinistica propugnaretur, quæ tamen non unius, aut alterius arbitrio, sed ex consensu, & consilio universæ synodi duntaxat mutari valeret: cum autem hæc proponeretur quæstio, an ad Episcopos, eorumque Officiales appellare liceat, petulanter respondebant, quod id duntaxat in causis civilibus permisum sit, eo modo, sicut pro obtinenda crudelitatis remissione Latroni supplicare licet.

§. CXIV.

*Origo confessionis fidei, ac Calvinistarum discipline in Gallis.*

*Beza hist.  
 Eccl. l. 2.  
 versus finem.*

Communior quidem tenet opinio, quod Reformati, ut se vocant, suam fidei